

& se faciendum amabilem; & similes effectus quoque sperabant ab aquila & scarabæo, si smaragdo incideretur. Medici quidam & Astrologi etiam per fraudem adseveraverunt, figuram leonis in auro sculptam & collo suspensam tollere dolores calculi; siquidem certis temporibus & horis ea sculptura facta esset, nempe quum sol ingreditur in primum gradum leonis. Alexander Trallianus, medicus non obscuri nominis affirmat, imaginem Herculis leonem strangulantis valere ad eundem dolorem; quæ figura exhibita est in prima parte. Quod ad literas attinet, ex quibus diximus non posse educi aliquam sententiam; ejus rei causa est, quod illi, qui utebantur magicis, solebant obnubilare mentem suam gryphis & ænigmatibus, unde eos Hieronymus vocat tormentum verborum, Apulejus literas ignorabiles, Lucianus barbaricas & non significantes. Illi autem corrumpebant verba & sensus, resolvendo & separando omnes literas, ut sic possent unicuique illarum dare singularem sententiam ac significationem, aut componendo per transpositiones & commutationes, ut huic rei quoque adsueverunt Hebræi in malo usu cabalæ, quæ velut pars est magiæ. Ab his & ab Basilidianis, ut refert Jo. Chifletius in eruditissimo libro de gemmis Basilidianis, prave scriptum invenitur ΔΩΝΑΙ pro ΑΔΩΝΑΙ, & ΑΙΟ, ΙΩΑ pro ΙΑΩ, quod est nomen solis, usurpatum in sacris versibus Apollinis Clarii, prout scribit Macrobius, & frequens in figuris ejus, qui appellatur Abraxas. Sic legi literas CAΔ commutatas ordine retrogrado pro ΔAC, quæ vox notat tedam vel flammam facis, quæ tres literæ sculptæ erant in heliotropio sub

ca-